

L. 10, 48.

Vd  
1870

TEMPLVM FELICITATIS  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
**D O M I N O**  
**F R I D E R I C O**  
**A V G V S T O**

POLONIARVM REGI ET ELECTORI  
SAXONIAE ETC. ETC. ETC.  
PATRI PATRIAEC CLEMENTISSIMO

OB 01400 01400  
FELICITATES PLVS TRINAS PVBLICAS  
ANNO PRAETERITO c15 15 CC XXXVIII  
OCTONARII NVMERI CAVSA PERQVAM OMINOSO  
DIVINA PROVIDENTIA PERCEPTAS  
IPSIIS RECENTIS ANNI KALENDIS IANVARII  
EXSTRVCTVM  
SOLEMNIQVE ACCLAMATIONE  
INSCRIPTVM

A  
REGIO-ELECTORALIVM BENEFICIORM ALVMNO  
QVODAM OMNIVM DEVOTISSIMO

HVMILLIMOQUE SERVO  
**M. SIGISMVNDO FRITZSCHIO**

LENGEFELDA - MISN. R. M. C.

VITEMBERGAE A. O. R. cb 15 CC XXXVIII.

LITERIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



1958.8  
SUBLIAM TIBURIA  
SUBLIAM TIBURIA  
HINIC HIC CHOUMO  
**D O M I N O**  
**H R I D E R I C O**

NON EGO PHIDIACO CAELATVM MARMORE TEMPLVM,  
NON, STATVI, NITIDVM QVOD LOCVPLETET EBVR.  
HOC THASIO SOLERS FACIAT POLYCLETVS IN AVRO,  
AVT AD STRVCTVRAS INGENIOSA MANVS.  
EXIGVAM MOLEM PERITVRAM DEDICO CHARTAM:  
SVNT ETIAM CVRAE MVNERA PARVA DEO.

MARMOR, EBVR, COELO MINITANTIA SAXA FATISCVNT,  
SED MANET AETERNVM, QVOD PIA FAMA CANIT.

EGIDIVNDI LITITSCIO



Vd  
1870

L. 10, 47.  
H. 10, 47.  
LITERIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

TEMPLVM FELICITATIS  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

# DOMINO FRIDERICO AVGVSTO

POLONIARVM REGI ET ELECTORI  
SAXONIAE ETC. ETC. ETC.  
PATRI PATRIAEC CLEMENTISSIMO

OB.  
FELICITATES PLVS TRINAS PVBLICAS  
ANNO PRAETERITO 10 CC XXXVIII  
OCTONARIJ NVMERI CAVSA PERQVAM OMINOSO  
DIVINA PROVIDENTIA PERCEPTAS  
IPSID RECENTIS ANNI KALENDIS JANVARII  
EXSTRVCTVM  
SOLEMNIQUE ACCLAMATIONE  
INSCRIPTVM

A  
REGIO-ELECTORALIVM BENEFICIORVM ALVMNO  
QVODAM OMNIVM DEVOTISSIMO

HVMILLIMOQUE SERVO  
M. SIGISMVNDO FRITZSCHIO

LENGEFELDA - MISN. R. M. C.

VITEMBERGAE A. O. R. 10 CC XXXVIII.

LITERIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



1952.8  
1952.8  
**HERIDERICUS  
DOMINO**

NON EGO PHIDIACO CAELATVM MARMORE TEMPLVM,  
NON, STATVI, NITIDVM QVOD LOCVPLETET EBVR.  
HOC THASIO SOLERS FACIAT POLYCLETVS IN AVRO,  
AVT AD STRVCTVRAS INGENIOSA MANVS.

EXIGVAM MOLEM PERITVRAM DEDICO CHARTAM:

SVNT ETIAM CVRAE MVNERA PARVA DEO.

MARMOR, EBVR, COELO MINITANTIA SAXA FATISCVNT,  
SED MANET AETERNV, QVOD PIA FAMA CANIT.

**M. EGISSIMUS RITISSCHIO**



**F**ELICITER! FELICITER! FELICITER! POTENTISSIMO SERENISSIMOQUE REGI POLONIARVM, ET ELECTORI SAXONIAE, DOMINO, AC PATRI PATRIAE NOSTRO BENIGNISSIMO, TOTIQVE DOMVI AVGVSTAE, PERPETVO FELICITER! Hac solemni acclamatione diuturni silentii, quo partim imbecillitate, partim uercundia, seruus subiectissimus hucusque sum usus, finem hodiernus dies attulit; idemque initium, quae uellem, quaeque sentirem, de memorandis SAXONICIS anni iam praeterlapsi FELICITATIBVS dicendi. Tanta nimirum istius anni notatu digna, tantique SVMNI NVMINIS in SERENISSIMAM REGIONELECTORALEM PROSAPIAM fauores fese manifestarunt, ut eos tacitus nullo modo praeterire ualerem. Illam igitur in praesentia Sophorum apud Indos ruminari mihi liceat consuetudinem, qua omne, praeterito anno memorabile factum, literis consignabant, ac die quoque recentis anni prima, strenue instar, Regi suo, quem munificentissimum sibi semper nouerant, offerendo consecrabant. Idem hac prima recentis anni die praestare, REX INDVLGENTISSIME, ego, inter Sophos, quos Regia TVA munificentia fouet, alumnus omnium deuotissimus, quam humillima mente conor. Sed enim uero, cui tantum est flumen ingenii, cui dicendi aut scribendi tanta uis, tantaque copia, quae, non dicam exornare, sed enarrare prouidentiae diuinae monimenta, in SERENISSIMAM DOMVM TVAM, haec tenus magnificentissime conspicua, possit; Tamen balbutiens hoc affirmo, et hoc, pace TVA, dicam, nullum REGIO STEMMA TI TVO memorabilorem esse annum, nullum gestarum rerum momentis

A

in-

in signiorem, quam illum ipsum, quem, DEI gratia, felicissimis omnibus, hodie perficiendo antiquamus. Sic est, si fatale quid certis quibusdam numeris, temporibus, atque annis communiter tribuatur, tempusque et fortuna cunctis interueniat; in OCTONARIO numero, ac in primis quidem *absoluti* iamiam anni **CIC** **CCXXXVIII**, tot feliciter facta deprehendo, ut uerear, ne hoc, quod de maximis eorum dicam, non perinde intelligi auditu posit, atque ego ipse cogitans sentio; quum omni uerborum pompa, omnique laudis genero multo maiora sint, multoque praestantiora. Mirentur alii, quid diui, quid fatalis insit QVINARIO numero, si ad Imperatorum, **DIVILEOPOLDI**, et **INVICTISSIMI CAROLI VI**, maxime fortunata accomodetur euenta: OCTONARIVM profecto, DOMVI TVAE AVGUSTAE non minus illustrem ac ominosum semper extitisse, iucundissimum erit declaratu. Istum appello numerum, quem omnium maxime laudant uitalem, his quidem de causis, quod octo tantum in arca illa Noachica conseruatae sint animae, ac totidem ex morte resuscitati, sacris in Pandectis, relati generatim elegantur. Istum appello numerum, de quo Graiorum populis solemnis haec olim formula fuit: **ΑΝΤΑΝΤΟΚΤΩ: OMNIA OCTO:** significaturis, hunc numerum, instar octonarii cuiusque in Musica toni, **BLANDISSIMUM esse omnium, PERFECTISSIMUM que.** Istum appello numerum, cuius splendor uel in ipsa uoce OCTONARIA: **AVGVSTVS:** fit illustrissimus, quippe quae uox sua sponte germanice VVAS GVT S quam uerissime ominatur. Quem admodum enim CAROLOS et FERDINANDOS suos AVGUSTA Domus Austrica; GEORGIOS et GVILIELMOS Anglia; LDOVICOS Gallia; FRIDERICOS Borussia et Marchia Brandenburgica, felices semper uidit, et adhuc extollit; ita DOMVS SAXONICA, de suorum **AVGVSTORVM** felicitate potissimum, nullo

non

non tempore gaudebit. Verum, ut modo pronunciatis  
summum, uel illustrissimis DOMVS TVAE, FOR-  
TVNA TISSIME AVGVSTE, exemplis, addatur  
pondus, quam benignissime permittas. Atque in his,  
antiquiora si repetere simul liceat, primum illud uere  
nuncuparem FAMILIAE TVAE AVGVSTAE  
BLANDISSIMVM PERFECTISSIMVM QVE momentum, ubi an-  
no, post recuperatam orbis salutem, cīc iō XXXXVIII,  
ALEXANDER illesAXONICVS, MAVRITIVS, in quo, dum  
uiueret, MARS semper VIXIT, ex STEM MATE TVO  
primus, acceptam a Patre gloriam ELECTORALI  
auxit DIGNITATE, quam uidelicet possidendi, ab  
Imperatore, CAROLO V, die vi. Cal. Martias anni  
celebrati, in Comitiis Augustanis, solemni ritu formu-  
laque, ius accepit. Qualis quidem dignitas huic Prin-  
cipi iam antea, Italos uisitanti, cum Pater nondum pos-  
sideret ditiones, per hoc Maronis ualde memorandum  
fuerat praedicta fortilegium:

*Curibus paruis, et paupere terra,  
Mifsus in imperium magnum.*

Sed enim uero hunc numerum OCTONARIVM, eodem  
anno, magis conspicuum reddebat Mauritiī frater ger-  
manus, AVGVSTVS, per genialis tori sacra, cum Re-  
gia Principe, ANNA, CHRISTIANI III, Danorum  
Regis, filia, quam fortunatissimis auspiciis, Torgauiae  
percelebrata: qua in pompa nuptiali magnificentissi-  
mum uidebatur, quod ipsum matrimonii sanctissimi uin-  
culum, a Concionatore Principe, GEORGIO Anhal-  
tino, Praeposito tum Magdeburgensi, copularetur, per-  
orata quidem insimul concione επιθελαμίᾳ. Ab hoc  
AVGVSTO dein, confecto numero Septemuirū  
Saxonicorum septenario, ad IOANNEM GEOR-  
GIVM IIII usque pertinente, OCTONARIVS ille rur-  
sum nouo FELICITATIS sidere clarior PERFECTIOR QVE ef-  
fulsit, cum uidelicet Gloriosissimae memoriae PA-

RENS TVVS, AVGVSTVS M., ad tiaram Ele-  
ctoralem REGIAM insuper promeruit CORO-  
NAM; ubi deuotissimus quidam ciuis, ex horum uer-  
borum: FRIDERICVS AVGVSTVS, ELE-  
CTOR SAXONIAE: concinne admodum facta  
traiectione, sequentem expiscabatur mysterii plenum  
sensum, de TE simul uel optime testantem: EGO SA-  
LVS TERRIS DIVINA VOCE REX FACTVS; quam pro-  
fecto a Parente partam Coronam TV ANIMI LENITA-  
TE, maximo Regiae Coronae cimelio, nec non AMORE  
IN GENVS HUMANVM, summus qui perfectae maiestatis  
est gradus, ita tueris atque illustras, ut illud Poëtae,  
summis plausibus TIBI merito acclametur:

*Sunt TIBI regna PATRIS MAGNI, sunt oppida capta  
Absque manu: nec non aurumque, animusque AVGVSTO est.*

Verum enim uero completi nunc anni, ut certum est,  
tricesimi octaui FELICITATES, a NVMINE SVPRE-  
MO, SERENISSIMAE DOMVI TVAE conce-  
fas, publicas, humillima mente deuenerari, potissimum  
mihi iam sumam. Haec, quod dixi, tantae sunt, ut eun-  
dem fere in modum, ac PHILIPPVS, Rex Macedonum,  
nimia fortunae blandimenta quasi paullulum indigne-  
ris; quandoquidem, sicut isti haec tria: Filii, Ale-  
xandri M., Natales; Victoriae de urbe Polidea; et  
Praemium, per equos ipsius, in puluere Olympiaco, re-  
portatum; tanquam ad unum diem collecta, simul elar-  
giebatur illa ipsa rerum humanarum domina: ita TIBI  
plus triplicem, hoc uno anno, tribuit FELICITATEM,  
illam Philippi quam longissime exluperantem. TER-  
NAM tamen, cum tria sint perfecta, ex illis fere innu-  
merabilibus, hic nominasse sufficiat. Omnia primum  
FELICITATIS publicae documentum sit, quod ipsum  
tempus ordinabat, auspiciatissimum illud CONVBIVM  
Regiae Principis, filiae TVAE, maximae natu, MA-  
RIAIE AMALIAE, cum Rege Hierosolymorum  
ac

RENS

S A

ac utriusque Siciliae, CAROLO, Hispaniarum Infante, ita coelitus directum, ut summi terrarum orbis Principes, huic fortunatissimo uinculo certatim applauderent; illustrissimum hoc spectaculum solemnibus suis gratulationibus illustrius redderent; et, AMALIAM TVAM, corporis animique dotibus admirabilem; AMALIAM, cui DEVS regium animum, TV Ipse regiam stirpem, Virtus regium titulum, cum ipsis regnis, contulerunt; AMALIAM, quam CAROLVS uehementissimo desiderii feroce exspectans, uix expectare poterat; uiridarium illud ac rofarium Italiae, Neapolitanum regnum, pede felicissimo, demum intrasse, concordibus animis gauderent. Scilicet Principum connubia non in uno aut altero homine, neque in una aut altera familia subsistunt, sed ad omnes pertinent, ad omnium fortunas et decora, ad omnium denique uitam salutemque spectare uidentur. Hac uia ex iure illo, iam a temporibus MAR GARETHAE, Imperatoris FRIDERICI II., Siciliarum Regis, filiae, Marchioni Misnico, ALBERTO, nuptum datae, praesumpto, suas has esse terras, multo maiori cum fidentia, nunc Saxonia contendere potest. Nil enim plane possidet CAROLVS, Rex, Gener, quod non, pro incredibili amore suo, proprium esse Reginae, AMALIAE, filiae TVAE, atque adeo OTTI simul STEMMA TI TWO SERENISSIMO, uelit atque contendat. Regis igitur OPTIMA FILIA quum Regis OPTIMO FILIO, meritis suis, facta sit digna, de FIDE, DECORE, PIETATE, ceterisque regiis laudibus HORVM pariter, ac felicissimorum utrorumque PARENTVM, qui ciuibus suis, utrinque fidelissimis, haec gaudia fecerunt, nulla unquam aetas conticescat. Ceterum in tanta praeconiorum solemnium multitudine, in que tot ardentissimis uotis, quibus ciuium subiectissimorum quisque deuotissimum, de hac ARBORE noua CONIVGALI, animum significare gestiuit, semperque gestiet, hoc, demississima mente, iamiam adiungere meum liceat optatum:

B

Ex-

*Exeat ad coelum ramis felicibus arbos,  
Mireturque nouas frondes!*

Hic silentio haud praetereundum duco, quod centum exacte tunc abhinc annis, c*1510* c*XXXVIII.*, idem numerus OCTONARIVS, in eiusmodi publicae FELICITATIS genere, Proauo TVO Gloriosissime memoriae, IO-ANNI GEORGIO II., BLANDISSIMVS fortunatissimusque euenit, quando Marchionis Brandenburgico-Culmbacensis, CHRISTIANI, filiam, MAGDALENAM SIBYLLAM, arcifissimo matrimonii foedere iunctam, domum deduxit, ac uitae torique lociam ita foecundam habuit, ut ex ea, successu temporis, alii duo GEORGII, AVGUSTI duo, et nouem alii PRINCIPES REGIO-ELECTORALES, posteri spectarentur felicissimi, TVAQUE DIVA STIRPS, quod DEVS IMMORTALIS uelit, prorsus immortalitati nunc consecrata uideatur. Sed alterum FELICITATIS publicae monumentum, REGIAE DOMVS TVAE proprium, porro demirari licebit. Felicissimos nomino NATALES PRINCIPIS REGIO-ELECTORALIS, quem in liberis TVIS uere Porphyrogenetam appelles primum, in quem illud Maronis conuenire uidemus, quod sit

*Cara DEVVM SOBOLES, magnum PATRIS incrementum.*

HOC SERENISSIMO, RECENS IN LVCEM EDITO, PRINCIPE, certius luculentiusque declaratur, quod DEVS OPT. MAX, qui uteri claves, ceu summum ius quoddam Regium, sibimet soli reseruauit, REGINAM nostram SERENISSIMAM, sanctissimam TVAM Coniugem, MARIAM IOSEPHAM, generis Regii et Electoralis Saxonici, auctorem foecdissimam, ut olim Archiducem Austriacam, MARGARETHAM, Electoris FRIDERICI, PLACIDI, maritam, in commune ciuium fidelissimorum gaudium atque solatia, constitutam benignissime uoluerit. Certe in tot publicis solemnibusque acclamationibus, et ego, religione quidem obsequentissimi animi ductus, uotiuis

DE-

DEVM ALTISSIMVM supplex insimul oro label-  
lis, ut RVT A SAXONICA, uelut purpureus ama-  
rantus, omnis marcoris expers, perpetuo magis magis-  
que floreat, quo, sub istius umbra, et totus Reipublicae  
ager magis floreat, uigeat atque perennet; Praeterea  
STIRPS AVGUSTA nunquam deficiat; omnium  
bonorum abundantia et ubertas cumulatissime semper  
ad sit; RECENSQVE NATVS PRINCEPS SERENISSIMVS  
Maiorum suorum fortunam, gloriā, et Principatus, mul-  
tis insuper accessionibus amplius dilatandos, una cum  
FRATRIBVS suis, PRINCIPIBVS SERENISSIMIS, aliquan-  
do consequatur possideatque. Verum, mihi, cuncta haec  
demississime gratulanti, uenit in mentem, istius anni  
OCTONARII simul recordari, in quem magnificentissi-  
mi natales IOANNIS GEORGII IIII, Patrui  
TVI Gloriosissimae memoriae, incidebant, anni scilicet  
cic 15 CLXVIII., eiusque diei,

MAGNI quae conscientia partus  
PRINCIPIS HVIVS erat, summaque uota dabat.

HIC profecto quidem, sapientissima mitissimaque gu-  
bernatione, terrarum orbi demonstrasset, quanta, quam-  
que excellentis gloriae, facinora de illo fuissent expe-  
ctanda, si multorum annorum seriem emetiri diuinitus  
illi fuisset concessum. Quae tamen omnia PATER  
TVVS, cuius nomen immortale permanebit, AVGU-  
STVS M., clementia sua, bonitate, ac uenerabilis oris  
maiestate, qua omnium oculos in sui conuertebat ad-  
mirationem, omniumque amorem sibi conciliabat, pree-  
stata sustinuit, sustentaque sic direxit, ut in TE, ima-  
gine sui simillima, quam auspicatissime cuncta perfice-  
rentur. Sed tertium publicae FELICITATIS ac pro-  
uidentiae diuinæ documentum, in REGIAM DO-  
MVM TVAM, praeterito anno cic 15 CC XXXVIII., pa-  
tesfactum, multo illustrissimum euasit intot regionum  
DVCATVS MARTISBURGENSIS recuperatione, post DIVI

HENRICI, ad quem unum redacta fuerat STIRPS  
CHRISTIANA, uitiae excessum, plenarie concessâ; quum,  
propter regionum, post Electorem IOANNEM GE-  
ORGIVM I., subortam diuisionem, Ducatus hic, ul-  
tra LXXX nunc annos, a DOMO ELECTORALI  
separatus extislet. Sic PATRE TVO MAGNO  
IPSE MAIOR euadis, dum regiones, soli TIBI reli-  
ctas, cum multis admodum aliis FELICISSIMVS coniung-  
gis, felicissime coniunctas OPTIMVS retines, optime re-  
tentas SAPIENTISSIMVS gubernare soles. Quanto hinc  
gaudio, quantisque tripudiis non delibuta est omnis pro-  
uincia, de tanto PATRE PATRIAE nouiter coelitus  
sibi dato? Quanto ardore pro TVA sacratisima  
incolumitate, pro TOTIVS REGIAE GENTIS  
flore, pro nuper DESPONSATORVM PRINCI-  
PVM REGIORVM felicitate, DEVVM, regnorum  
in his terris omnium diribitorem iustissimum, non de-  
precatur, atque de acceptis beneficiis publicas solen-  
nesque IMMORTALI NVMINI supplicationes  
non instituere solet? Vident enim nouae ciuium pha-  
langes, TE, REX INDVLGENTISSIONE, quem  
GRATIA, FORMA, DECUS, PIETAS, CLEMENTIA, CANDOR,  
SVBLIMEM COELI FVLGENTIBVS INTVLIT ASTRIS,  
TE, inquam, nil, quam ut salua sit omnis Respublica,  
uelle; TE uelle, ut cuique suum detur, dicetur et ad-  
dicatur; TE uelle, ut omni generi, omnique ordini sem-  
per sit bene; Ut adeo haec sententia: PRINCIPEM BENI-  
GNVM ET PATREM INDVLGENTISSIONE VNVM ESSE  
DEBERE: cordi TVO sanctissimo penitus insculpta ui-  
deatur; Quod certe sapientissimum enunciatum DIVVS  
FRIDERICVS, SAPIENS cognomento, literis inau-  
ratis, cubiculi sui parietibus, imprimendum aliquan-  
do curârat. Spectant TE populi TVI SOLEM su-  
um, ad quem, solisequiorum instar, omnes se conuer-  
tunt, ac TIBI, quod olim CLEMENTI XI, Pontifici  
Maxi-

Maximo, accidebat, unanimiter acclamare gaudent: CLEMENS ES CVNCTIS. Certissime credunt, tanta TVA, OPTIMI PRINCIPIS, in semetipso esse futura munificentiae signa, ut monumentis TVIS nulla unquam allatura sit finem aetas. Ceterum huius TVAE FELICITATIS imaginem, centum iam annis ante, uidit, suo in imperio, itidem AVG VSTVS quidam, III. tum dictus, Saxonie Dux, Postulatus a Cizensibus Administrator; quem uidelicet anno cccxix cxxxviii, similiter homagium, ut TIBI a Martisburgensibus super istud dabatur, ipse tunc a Saxonibus Halensisbus aciperet; quale fidelitatis iuramentum eidem iam anno cccxix cviii, numero pariter OCTONARIO perquam omnioso, ciuium Cizensium praestiterant cohortes. Sed haec missa facio, tantummodo DEVVM OPT. MAX. supplex precatus, ut, quem ad modum INVICTISSIMVS IMPERATOR ROMANO-GERMANICVS solus nomen SEMPER-AVG VSTI sibi vindicat, quod amplificare et augere Imperium Romanum, nomenque Germanorum Ipsi maxima curae est cordique: ita SVM MVM NVMEN TE, PATER PATRIAE INDVLGENTISSIONE, talem amplius esse iubeat AVG VSTM, qui NOMEN et OMEN nullo non tempore, ubique locorum, gerat atque tueatur. His TRINIS FELICITATIS publicae, in DOMVM TVAM SERENISSIMAM, *praeterito* nunc anno, numero quidem octonario fatali, conspicuis, diuinitus datis documentis, adiungere plura profecto ualerem, ni enarrata iam penitus sufficere arbitrarer. Possem de NOVIS dicere TITVLIS, quos HANoviENSIVM terrarum gratia, ceu novum FELICITATIS publicae testimonium, haud ita pridem sustinuisti. Possem dicere de SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, et ELECTORATVS HAEREDIS, FRIDERICI CHRISTIANI, prosperrimis in regiones Italicas itineribus, et saluberrimo Baiarum ibidem usu; Quem

C

qui-

quidem desideratissimum Patriae SPLENDOREM DEVS  
mox reducem felicissimum reddat nobis, nobis, inquam,  
ciuibus TVIS omnium fidelissimis; quorum, scio, quilibet,  
ut SOL IPSE cum PHOSPHORO, TVA uidelicet  
REGINAEQVE, Coniugis, ex Polonia reuersione, Saxo-  
nibus TVIS exoptatissime propediem reddereris, haec  
uota quam humillima mecum hucusque continuauit:  
**PHOSPHORE**, redde diem! quid gaudia nostra moraris?

*Cum SOLE adueniens, PHOSPHORE, redde diem.*

Sed taceo, quod, si omnes FELICITATES, DOMVI  
TVAE AVGVSTAE, per dictum annum, coelitus  
collatas, allegare in praesentia uellem, nullum me in-  
uenturum esse finem facile uererer, quin etiam uix cu-  
iusquam mens aut cogitatio haec omnia capere posset.  
Hoc tamen sine assentationis metu exclamare possim:  
**O DOMINV M AC REGEM FELICISSIMVM,  
BEATISSIMVM, FLORENTISSIMVM QVE!**  
Cui DEVS tot nouas REGIONES, recens editam STIR-  
PEM MASCVLAM, nouos AFFINES REGIOS, uno anno, be-  
nignissime est largitus? In qua FELICITATE magnificen-  
tissima neminem habes socium, totumque hoc, quan-  
tumcunque est, quod certe maximum est, totum, in-  
quam, est TVVM; Ut adeo uix ullius gentis, aetatis,  
ordinis Principem inuenerimus, cuius felicitatem for-  
tunae TVAE, AVGVSTE FELICISSIME, com-  
paremus. Maecte igitur hac coeli indulgentia, quam  
Praeles Imperiorum ac Custos, DEVS, et in posterum  
propriam TIBI atque perpetuam praeftet; quorsum  
SVSPIRIA gentium, CLAMOR populi, omniumque ciu-  
um fidelissimorum PRECES, tanquam in hoc unum col-  
lectae, tendunt. Nulli quoque dubitamus, fore, ut  
**EXORABILE NVMEN** tot uota publica, totque  
preces ardentissimas, haud incassum ire permittat. Quum  
enim IVSTITIA ET AEQUITATE, OMNIUM SPLENDIDISSI-  
MIS, secundum Imperatoris, TRAIANI, pronunciatum,

Regis

Regis optimi ORNAMENTIS BONISQUE, TIBI; nimirum  
audebo uel SOLIS dicere ac PROPRIIS, DEO OPT.  
MAX. indies magis fias similior: Hic SVI amatores  
uicissim amat, et tanta TIBI reddit animi corporisque  
munera coelitus, ut uirtutes pariter ac fortunas TVAS  
non solum nostris, sed pene omnium gentium literis at-  
que linguis celebrari et uideamus et audiamus. TAN-  
TI scilicet PRINCIPIS IVSTE, CLEMENTER, MANSVE-  
TE, SAPIENTERQUE facta, si quis modo uel audit, uel le-  
git, totus eum, absens quoque et nunquam uidens, timo-  
re diligat, amoreque ueneretur, necesse habet. Tantus  
est enim splendor in L A V D E VERA, tanta in ma-  
gnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a uirtute  
donata, cetera a fortuna commodata uideantur. Quam  
felices itaque nos sumus, qui TE, PATER PATRI-  
AE IN DVLGENTISSIME, praesentem intue-  
mur, cuius mentem, sensus, et os cernimus? Videmus  
autem TE superare AVGVSTVM felicitate dome-  
stica, FLAV. VESPASIANVM liberalitate in eruditos, TI-  
TVM uerenda maiestatis grauitate, TRAIANVM conti-  
nentia, HADRIANVM animi moderatione, ANTONI-  
NOS pietate, SEPT. SEVERVM clementia. Quis igitur  
TE FELICISSIMVM, LIBERALISSIMVM, HYMANO GENE-  
RI AMICISSIMVM, OPTIMVM, MODERATISSIMVM, PIEN-  
TISSIMVM, SAPIENTISSIMVMQUE PRINCIPEM nuncupare  
non uellet? Quapropter, si nos officiorum, pietatis,  
ac laudum, quas TIBI debemus omnium sacratissimas,  
recolere memoriam unquam intermitteremus, TVIS  
beneficiis longe maximis nos omnino indignos praebe-  
remus. Quid ergo impedit, quo minus TIBI, Roma-  
norum more, FELICITATIS TEMPLVM, literis  
saltem, ego, NVMINIS TVI quam humillimus cultor,  
statuere conar, cum hac inscriptione: FELICI-  
TAS REGIA EADEMQUE PUBLICA: Cuius  
quidem intuitu ciues TIBI obsequenterissimi, pro FELLI-  
CITATE TVA, TOTIVSQUE DOMVS TVAE  
D AV-

Y 1870 Pk. X 300 5589  
AVGVSTAE perpetua, ut debent, utque semper fe-  
cisse pergaudent, multo in posterum uehementius,  
multoque, credo, confidentius uota, mecum deuotissi-  
ma nuncupabunt. Horum autem uotorum summa, et  
iam in *buius anni* principiis, eo communiter tendit, ut  
SVMMVS cunctarum rerum ARBITER, qui singu-  
lis FRIDERICIS et AVGVSTIS SAXONICIS im-  
perium, ultra xxx et xxxx annos semper felicissimum,  
plane a omnino concessit, similiter TE, REX POTEN-  
TISSIME, cum REGINA, Coniuge, MARIA JOSE-  
PHA, PRINCIPE REGIO, ET ELECTORATVS HAERE-  
DE, FRIDERICO CHRISTIANO, TOTAE DO-  
MO REGIA, per hunc, quem, auspiciis summe fortunatis, *bo-*  
*dierno die*, inchoamus, multosque sublequentes, ac, si rerum  
natura pateretur, aeternos annos, IN COLYMEM TECTVM QVE  
seruet; Ut floreas CAPVT FAMILIAE AVGVSTAE SACRATISSI-  
MVM, ut valeas TIBI AVGVSTVS olim MAXIMVS, ut ui-  
nas nobis REX ac PATER PATRIAE INDVLGENTISSI-  
MVS. Porro DEVS nunquam sinat deesse unum ex TVIS, qui TVVM  
uel constantissime SOLIVM occupet REGIO-ELECTORALE: Adhaec,  
ut protulis Polonis Saxonibusque TVIS amplius paterna cura prouide-  
re queas, praefantissimum TIBI perpetuo sanitatis praesidium largiatur,  
ac in posterum longe maiores, magnificentioresque OMNI DOMVI  
TVAE FELICITATES, si quae maiores fieri possunt, cunctorum quic-  
dem ciuium TVORVM commodo, benevolentissime concedat. Sic  
quoque, me, NVMINI MAIESTATI QVE TVAE omnium deuotissi-  
mum seruum, a puero scilicet Dresdæ, Mifenæ, et hic Vitembergæ  
Regiis TVIS beneficiis, quorum uenerationis, altis in animo defixaæ  
radicibus, sensum perpetuo testabor, studiorum gratia, quam cum  
latisime sustentatum, certissima spes tenet ulterius, fore, ut, in tanta  
regionum TVAKVM amplitudine, uel in minima oppidorum TV-  
ORVM Aede, cum coetu quodam sancto, pro SALVTE ac FELI-  
CITATE TVA SANCTISSIMA SACRATISSIMA QVE, pre-  
ces ad DEVVM fundere publicas, iussu TVO Regio, quem humillimus  
sacerdarum rerum Studiosus exopto, clementissime demum mihi conce-  
datur. Ceterum omnibus, quae iam dicta sunt, uotis haec ultima, re-  
spondentia primis, solemiter addo: FELICITER! FELICITER!  
FELICITER! POTENTISSIMO SERENISSI-  
MOQVE REGI POLONIARVM, ET ELE-  
CTORI SAXONIAE, DOMINO, AC PATRI  
PATRIÆ NOSTRO BENIGNISSIMO, TO-  
TIQVE DOMVI AVGVSTAE, PERPETVO  
FELICITER!

TEMPLVM FELICITATIS  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

D O M I N O  
D E R I C O  
G V S T O

REGI ET ELECTORI  
AE ETC. ETC. ETC.  
AE CLEMENTISSIMO

PLVS TRINAS PVBLICAS  
TERITO c15 15 CC XXXVIII  
CAVSA PERQVAM OMINOSO  
VIDENTIA PERCEPTAS  
S ANNI KALENDIS JANVARII  
STRVCTVM  
QVE ACCLAMATIONE  
NSCRIPTVM

A  
VM BENEFICIORVM ALVMNO  
OMNIVM DEVOTISSIMO  
ILLIMOQUE SERVO  
INDO FRITZSCHIO

FELDA - MISN. R. M. C.

E A. O. R. c15 15 CC XXXVIII.

IM GOTTLÖB EICHSFELDII  
EMIAE TYPOGRAPHI.

